

Bibliothèque numérique

medic@

**Guerard, Alph.. - Num a parthologicis
observationibus confirmata vel
infirmata sunt, de nervosi systematis
functionibus physiologorum
experimenta ?**

1829.

Paris : Excudebat E. Pochard

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exempleaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1829x02x03](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1829x02x03)

COMPETITIO AD AGREGATIONEM,

JUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGLE UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA ANNO M. DCCC XXIII.

NUM A PARTHOLOGICIS OBSERVATIONIBUS CONFIRMATA
VEL INFIRMATA SUNT, DE NERVOSI SYSTEMATIS
FUNCTIONIBUS PHYSIOLOGORUM EXPERIMENTA?

THESES

*Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ
Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus,
publicis competitorum disputationibus subjiciet et
dilucidare conabitur, die nono et vicesimo mensis
Julii, anno millesimo octingentesimo vicesimo nono.*

ALPH. GUERARD,

CELEBERE. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTOR, UNUS INTER MEDICOS CENTRALIS NOS-
SOCIOMIORUM ADMINISTRATIONIS, ET SEPTI DISPENSARII SOCIETATIS PHILANTHO-
PICÆ, SOCIETATIS ANATOMICÆ PARISIENSIS SOCIUS, VETERIS SCHOLÆ NORMALIS
ALUMNUS, ETC.

PARISIIS,

EXCUDEBAT E. POCHARD,

VIA DICTA FOT-DE-FER, N° 12.

M. DCCC XXIX.



JUDICES.

Præses.

D. ESQUIROL.

Judices.

D. D.

ADELON.
ANDRAL.
CAYOL.
CHOMEL.
FIZEAU.
LANDRÉ-BEAUVAIS.
RÉCAMIER.

Vice-gerentes.

D. D.

GAULTIER-CLAUBRY.
KERGARDEC.
RULLIER.

COMPETITORES.

D. D. MAILLY.

DEFERMON.

GUIBERT.

LÉGER.

HOURLMANN.

AYME.

BROUSSAIS.

CHANEL.

DALMAS.

SANDRAS.

GUÉRARD.

D. D. BERJAUD.

SANSON. (ALPH.)

MENIÈRE.

FORGET.

DUBOIS.

ROYER-COLLARD.

VIDAL.


GUYOT.

REQUIN.

GAYDE.

Amicissimo Fratri.

Alph. Guérard.



NUM A PATHOLOGICIS OBSERVATIONIBUS CONFIRMATA VEL INFIRMATA
SUNT, DE NERVOSI SYSTEMATIS FUNCTIONIBUS, PHYSIOLOGORUM
EXPERIMENTA?

PROOEMIUM.

Facile dici potest nullum esse physiologicum experimentum quod non simul confirmet atque infirmet pathologicae observationes. Neque tamen existimamus ex paribus causis tam diversos inter sese nasci effectus; sed cum ferè ignotæ sint intima nervorum structura, et quæ hujus systematis functionum integritatem tuentur conditiones, sæpiùs à pathologicis permiscentur morbidi status, alii ab aliis discrepantes si ad physiologicas perturbationes intenderis; adde tam difficili investigationi novas frequenter adjungi difficultates ex morborum complicatione.

Per nervosum systema complectimur, systema nervorum vitæ animalis aut propriè dictum, et systema nervorum vitæ organicæ aut ganglionare. In unoquoque notantur partes duæ, una media, altera ad eam concurrens dictaque perisphærica.

1^o *Pars media, vel axis cerebro spinalis.*

Constat ex medullâ et encephalo, quod ipsum efformant medulla oblongata, pons varoli, cerebellum et cerebrum; in hoc præcipuè inter multa observantur corpora quadrigemina, corpus callosum, fornix trilaterus, septum lucidum, colliculi optici, corpora striata, prætereà meninges et humor cephalo-rachideus.

Pars perisphaerica vel nervi.

Dividuntur in spinales, et in encephalicos. Priores communi descriptione complectemur; de posterioribus singulatim disseremus.

Systema ganglionare.

1° Pars media constat ex plurimis plexibus in cavo abdominali positus, et ex nervis qui inde orti ad finitima gangliona et ad organa vergunt;

2° Partem perisphaericam constituunt gangliona de quibus modo diximus et rami à ganglionibus porrecti.

Medulla spinalis.

Quas medullæ spinali physiologorum experimenta tribuunt functiones hæ ferè sunt :

Voluntariis motibus præest medulla; eadem unicuique partium ad quas mittit nervos, sensibilitatem addit.

Sub ditione tenet vim abditam quâ sanguis in circulum agitur, spiritus trahitur, coquuntur alimenta, proprium calorem sibi vindicat humanum corpus, secernuntur humores, fit nutritio, generatio (quod ad coitum et parturitionem attinet).

Has functiones confirmant quidem infirmantque pathologicae observationes; attamen confitendum est multo plura physiologiae consentire pathologica facta, quotiescumque experimenti ad instar morbificæ causæ læsisse videntur; exempli gratiâ, quandò cita fuit offensio, et repenti externo quodam impetu compressa, vel deleta fuit medulla. Quod si contrà lentè irrepserit malum, tunc fieri potest ut læsioni plus minusve respondeat functionum perturbatio, imò nullum mali et longè grassati prodeat indicium; undè physiologorum quorundam experimentis debitæ fidei aliquid detrahitur,

novaque aliorum opinioni vis additur qui experimento quoque freti omnino adversantia invenerunt facta.

Id sequentes demonstrant propositiones.

I.

Rèpentinam medullæ sectionem vel compressionem sequitur ferè semper motuum et sensibilitatis defectus, alimentorum coctionis et urinæ suspensio, circulationis perturbatio, spiritûs difficultas, mors ipsa, sive repente, sive post brevius longiusve temporis intervallum, prout capiti propius vel latius illatum est vulnus.

II.

Non omnem paraplegiam repentinam, quæ plagam illatam consecuta est, comitatur medullæ sub sensus nostros cadens læsio.

III.

Si medullæ pars tantum vulnerata fuerit, cicatrix fieri potest et post longum tempus restituuntur functiones vel omnes vel fere omnes.

IV.

Qui post repentinas medullæ læsiones, etsi maximi, apparent motus, sæpè invito ægrotante, fiunt.

V.

Medullæ quâlibet vitiatâ regione, si lentum quidem inciderit vitium, non semper inferius positæ partes resolvuntur earumque perturbantur functiones.

VI.

Quamvis propius capiti læsa fuerit medulla, nulla, aliquandò, nisi apud infera membra turbatio percipitur.

VII.

Medullæ subjectæ partes separatim resolvi possunt; tunc quàm sæpissimè primæ afficiuntur quæ inferiùs positæ sunt, et resolutio ascendere videtur.

VIII.

Non desunt facta quæ eam descendisse comprobent.

IX.

Non rarò evenit ut partes superæ resolutione solæ laborent, inferæ contrà omni integritate suâ fruantur.

X.

Motus sensusque simul deficere possunt; sed aliquandò, vigente sensu, deficit motus, aut deficiente sensu, motus superest.

XI.

Quibus repentinè læditur medulla, asphyxiæ sæpè occumbunt.

XII.

Non semper eadem trahendi, mittendique spiritûs difficultas; unum verò facilè, alterum cum labore fit.

XIII.

Corporis latus, quod occupat resolutio ex medullæ quâdam læsione orta, medullæ vitiato lateri sæpissimè respondet.

XIV.

Fieri potest recti et vesicæ resolutio, non effectâ paraplegiâ;

paraplegiâ contrâ superveniente, recti et vesicæ superesse possunt functiones.

XV.

Rectum et vesicam resolvit, læsus modò sensus, modò motus, aliquandò uterque.

XVI.

Læsâ medullâ, vesicæ aliquandò resolvitur collum non corpus.

XVII.

Urinæ proprietates seu chemicæ, seu physicæ, in paraplegiâ sæpè vitiantur.

V. III.

Sunt, apud quos chronico medullæ quodam vitio laborantes, adeo cæteris indiciis præstet circulationis perturbatio, ut medicus morbum ad cordis intimam quamdam læsionem facîle referat.

XIX.

Pellis arida, cuticulæ desquamatio, paraplegiam aliquandò comitantur.

XX.

In paraplegiâ aliquandò vitatur uterus, quod ad motum et sensum pertinet.

XXI.

Nonnulli quos affecit paraplegia, frigoris cujusdam et interdum acris conscii sunt.

XXII.

Organorum resolutionem, jam diuturnam, frequenter sequitur eorundem minutio.

XXIII.

Deficiente axi cerebro-spinali, crescit in utero foetus.

XXIV.

Non necessario evenit ut idem jam separatus ab utero, continuo moriatur.

XXV.

Vitiata medullam nonnullis in casibus produnt eadem ac epilepsiam, hydrophobiam indicia.

Medulla oblongata.

Si quis evolverit quidquid de functionibus medullae oblongatae à physiologis scriptum fuit, mirabitur quam longè aliae ab aliis eorum discrepent opiniones, quamvis experimenta unusquisque praeseferat. Sed quænam hujus diversitatis sint causae elucidare non nobis propositum est. Ideò dicere satis est medullam oblongatam, si physiologis credas, cordis motus regere, alimentorum coctioni, respirationi, sensibus et locomotioni praesse; adde, quod ad respirationem spectat, illi inservire, non thoracis motus, sed hanc intimam fabricationem quâ sanguis renovatur.

Si læsa fuerit à latere, par ut quidam aiunt physiologi, oppositum, ut alii, corporis laborat latus. Cæterum ne quæ jam de medullâ spinali dixi, iterum dictitem, repetantur propositiones, prima quarta, quinta, sexta, nona, decima, duodecima, tertia et decima quinta et vicesima.

Pons varoli.

Illum ad motus qui à latere efficiuntur conferre asserunt physiologi; neque ulla alia notatur functio, si abstractum fuerit quod

propriè ad medullam oblongatam nervosque pontis varoli finitimos pertinet. Qui ab eo proficiscuntur effectus, læsioni semper oppositi.

Rarò apud auctores occurrunt observationes ubi solius pontis læsio deprehensa fuerit; attamen, longa nos edocuit investigatio, si qua hujus organi supervenerit lenta vel repentina læsio, a latere opposito quàm sæpiùs sequi resolutionem, neque additâ necessitate corporis in certum movendi modum; attamen fieri posse, ut lentam compressionem nullum proprium demonstret indicium.

Cerebellum.

Motus, et præcipuè membrorum pelvianorum ciere, eos temperare, propulsare, et à latere per crura medullæ regere, universo sensui, et functionibus quæ ad generationem pertinent, præesse, id est cerebelli proprium, si physiologorum experimentis fidem adhibeas.

Cùm hoc organum propter situm suum, ferè omne ab externo illatum vulnus effugiat, easque imprimis læsiones quas physiologia imitari possit, non mirum, si parùm inter sese concordent indicia morborum qui rarò partem circumscriptam occupavère, prætereaque perturbationibus complicantur quas adjungit cerebri vasorum repletio. Itaque omnem ferè opinionem de hâc re physiologicam confirmant facta quædam, et simul eidem adversantur aliæ nec minùs comprobatæ, nec minùs frequentes observationes.

PROPOSITIONES.

I.

A chronicis vel acutis cerebelli aut membranarum, quibus involvitur, vitiis oriri possunt, quas asserunt physiologi perturbationes.

2.

II.

Aliquandò, non facilè hos morbos à cerebri quodam morbo dignoscere poteris.

III.

Reperiuntur exempla, unde compertum est cerebelli et quàm maximè patentes læsiones nullo indicio demonstratas fuisse.

Cerebrum.

Cerebrum per lobos, locomotionem, sensus, voluntatem, intellectum, vocem, ventriculi functiones, propriumque calorem regit.

Per opticos colliculos adjunctasque partes, visui, superiorum motibus artuum, præest, et respirationem adjuvat. Per striata corpora et hinc profectos radios, retrò agit corpus et infera movet membra. Nullo modo ad corpus callosum, septum lucidum, trilaterum fornicem referri possunt voluntarii motus.

Denique oculorum aciem incitant corpora quadrigemina; præterea motus voluntarios inter sese consociare videntur.

Istas nempe, aliquandò alias aliis adversantes, opiniones prætulerunt physiologi.

Cerebri effectus in opposito corporis latere deprehenduntur.

PROPOSITIONES.

I.

Cerebri cujuslibet partis repentinam compressionem, dummodo lata sit, comitatur intellectûs, sensûs, motûsque perturbatio.

II.

Quamvis latè pervagatum sit malum, et quamcumque sedem occupaverit, fieri potest ut motus in unâ et minimâ corporis parte perturbetur.

III.

Quæ cerebri latus offendit læsio, si ad medias partes paululùm vergat, nonnunquàm totum resolvit corpus.

IV.

Vitiatâ parte cerebri anteriore, sæpè accidet hemiplegia.

V.

Evenire potest, cerebro laborante, ut qui truncum movent musculi resolvantur; integritatem tueantur qui movent membra.

VI.

Separatim lædi possunt motus sensusque.

VII.

Lentam cerebri compressionem nullum aliquandò demonstrat indicium.

VIII.

Diù in cerebro remansisse corpora extranea; ne ullâ quidem perturbatâ functione, non pauca testantur observationes.

IX.

E cerebri continuo morbo, visi sunt aliquandò intermittentes nasci effectus.

X.

Frequenter perturbantur ventriculi et intestinorum functiones,

si lentè vel repentinè læsum fuerit cerebrum , neque ulla post mortem illorum læsio invenitur.

XI.

Lentè vitiatis vel totis hæmispheris, sæpè intellectus integer servatur.

XII.

Loborum pars satis magna exsecari potest sine ullâ functionum perturbatione.

XIII.

Ab eodem latere non nunquàm cerebri læsio et effectus notantur.

XIV.

In cerebrum sanguinis effusionis et hemiplegiæ indicia visa sunt, nulla post mortem læsio reperta.

Nervi encephalici.

Nervi olfactorii , optici , auditorii , quibusnam præsent functionibus, nomen indicat. Attamen reperiuntur quidam casus ubi persstante, imperfectâ quidem , functione hos nervos omninò corruperat morbus, alii contrà, ubi, quamvis nervi simul ac organa integra visa fuerint , functio deleta fuerat.

Nervus oculi motorius , et oculi musculos et irida movet. Attamen , cùm frequenter hujus nervi stupor à pathologis observetur ignoro an quis unquam eorum, stuporis ejus effectibus iridis immobilitatem adjunxerit.

Nervos patheticum et abducentem oculi quoque motibus præesse facillè demonstrat quòd, his nervis vitiatis, aberret illud organum.

Nervi trigemini ad sensitiva organa referuntur quorum non solùm motus, nutritionem, secretiones , sed ipsum sensum adjuvant.

Iidem faciei sensum addunt. Paucae quidem inveniuntur observationes pathologicae ubi separata horum nervorum laesio fuerit deprehensa; factis tamen etsi raris freta pathologia, visus, olfactionis auditionisque aciem his nervis augeri parum probare videtur; et benignius, quod ad gustum et tactum pertinet, admittit.

Nervo faciali, quidquid motus ad spiritum trahendum vel mittendum est necessarium, debet facies. Multa huic opinioni succurrunt facta pathologica. Si nervus vel compressus vel sectus, sequitur faciei resolutio. Attamen quoties intumescendo parotide, vel per longum tempus, faciei perstant motus. Praeterea occurrit faciei resolutio, neque laeso, neque compresso nervo, sicut apud quosdam hemiplegia laborantes observatur.

Nervi vagi, laryngis, pulmonum, cordis, almentorum ductus, et ventriculi functiones regunt, aut adjuvant. Sed multa alia sunt organa quibus haud absimilis innata vis agnoscatur. Etenim persaepe vitiantur, vocis emissio, respiratio, neque ullam nervorum vagorum vel ex radicibus laesionem suspicari queas. Id comprobant tam frequentes apud eos qui cerebri quolibet morbo afficiuntur vomitus. Quae autem de horum nervorum separatâ laesione rarissimae quidem exstant observationes, physiologorum opinionibus favent.

Nervus glosso-pharyngeus, organorum, ad quae vergit, incitator, gustum quoque adjuvare videtur. Nervus hypoglossus movet linguam. Accessorius, diaphragmaticus, isque ramus cervicalis qui musculus serratum majorem petit, multum ad respirationem conferunt. Has opiniones corroborant plurima facta quae, postquam recentissimi haec munera physiologi indicaverunt, pathologi ipsi observavere.

Nervi spinales.

Nervorum spinalium duplex origo; quarum prior motum universum aut tantum flexionis motus, contractionem vesicae constrictoris musculi et ani constrictoris relaxationem regit; posterior ad sensum pertinet, aut motibus extensionis imperat aut vesicae constrictorem relaxat et ani constrictorem contrahit. Rami antici et postici sese miscent implicantque, unde truncus unusquisque nervorum simul

motui et sensui favet. Itaque sectis his nervis delentur simul et sensus et motus. Quod si compressi fuerint, plus minusve acres oriuntur dolores, plus minusve impediuntur motus. Addendum est ramos sensitivos et motores dum organa subeunt, alios ab aliis separari, partesque penetrare singulares, ubi separatim externo impetu lædi possunt. Sic motus aut sensus separatim deficit. Quid vero alterutra radix possit, satis demonstrant quæ jam de medullâ spinali diximus; illa enim in duas divisa est ténias quarum antica anticam, postica posticam radicem gignit.

Systema ganglionare.

Quùm neque physiologorum experimenta, neque pathologorum observationes tam densas quibus hæc materia involvitur tenebras discusserint, nihil de hoc systemate disseremus.

CONCLUSIO.

Quid igitur ex tot factis pathologicis cum physiologorum experimentis collatis possumus colligere? Nùm hinc affirmantia, illinc infirmitia facta numerando verum inveniemus? Porro adversantia non minùs frequenter quàm confirmantia occurrunt; ne vero plurius quàm decet numerum æstimemus. Longè alia physiologorum ac pathologorum observatio. Physiologus animalia bonâ vigentia valetudine ferit; pathologus sæpissimè ægrotantes jam morbo victos observat; illi repentinæ apparent læsiones; huic paulatim perturbationum series evoluitur; prior, ut libet, plagam definire solet, singularique loco infigere; alter contra morbos plus minusve pervagatos, quibusque nullus describitur limes dignoscere tentat. Physiologus dum organa secat, premit, dilacerat, urit, ea plerumque morbis quasi extraordinariis, afficit qui, quùm rarissimò hominem aggrediantur, pathologos plerosque effugiunt.

Indè (nec plura alia nobis argumenta desunt), concludimus, ex physiologicorum experimentorum collatione cum pathologicis observationibus, multa quidem probabilia, nullam verò omni dubitatione carentem oriri confirmationem vel infirmationem.

FINIS.